Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8263
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

xxiii q. v. cicuncillionés in fi // Of-
ficium aut principale regis est dirige-
re suo regimine in finem verum qui est beatitu-
do eterna. Unde sic debet in hoc mundo
suos subditos peregrinos regere ut effi-
ciantur cives et domestici dei ephe. ii
qui quam diu sumus in corpore peregrinamur
a domino ii ad corinth. v. Sed quia
finem fruicionis divine homo non conse-
quitur per virtutem humanam sed divinam
quia gratia dei vita eterna Ro. vi per-
ducere ad illum ultimum finem non est
humanam per se regiminis sed divini.
Ad illum ergo regem hoc pertinet prin-
cipaliter qui non solum est homo sed
eciam deus scilicet dominum ihesum xpm qui
homines filios dei faciens Jo. i. in celes-
tem gloriam introduxit propter quod
non solum sacerdos sed rex in sacro nomina-
tur eloquio Jeremie xxiii Regnabit
rex et sapiens erit Unde ab eo rega-
le sacerdocium derivatur et quod est ampli-
us xpi fideles in quantum sunt membra
eius reges et sacerdotes dicuntur i pe.
ii. ex. de sacra unc. c. i. § quia vero
// Huius aut regni ministerium ut a
terrenis spiritualia essent discreta xcvi
di. cum ad verum non terrenis regibus sed
spiritualibus scilicet sacerdotibus est com-
missum et precipue summo sacerdoti pe-
tri successore Romano pontifici cui omnes
populi xpiani reges oportet esse sub-
iectos sicut ipsi domino xpo lxiii di. Va-
lentinianus. ex. de iudi. c. novit et
ex. de ma. et obe. omnis et c. solite xcvi
di. quis dubitat et c. duo // Sacerdo-
cium aut gentilium et totus divinorum cul-
tus propter bona temporalia ordinabantur
propter quod conveniens sacerdotes gencium
regibus subdebantur sicut et in veteri le-
ge sacerdotes leguntur sacerdotibus subditi
sed in nova lege est sacerdocium alcius per
quod homines trahuntur ad regna celes-
tia Unde et in lege xpi reges debent esse
subiecti sacerdotibus ut prorie pro-
batum est // Qualem aut oportet
regem esse supra sepe in hoc opere dixi

De regni condicio-
nibus videndum est. Sunt aut decem
condiciones que regnum efficiunt bonum

temporaliter et spiritualiter. Et prima
condicio est ut regnum sit rite institu-
tum quod tunc est cum non violencia et frau-
de aut alio quovis indebito modo seu
a morte legitima regni dominatus as-
sumitur sicut in regno ysraelitarum
legitur accidisse primo Regum ix et x Non
tale regnum Nemroth babel per violen-
ciam occupatum gen. x. xvi. di. § si. Et
absolon regnum occupans vivente patre
male periit ii° Regum xvi xvii et
xviii c. Similiter et filius david adonias
iii Regum i° et ii c. et multi alii //
Secunda condicio est quod sit regnum
antiquum Ad laudem enim regni et no-
bilitatem pertinet quod diu ante duravit
Dicimus enim ad ipsos nobiles homines et
gloriosos vocamus quorum progenitores
ex antiquo divites et potentes fuerunt
Ista condicio apparet in regno assiriorum
quod antiquum fuit et duravit diu secundum
Augustinum et Romanorum // Tercia con-
dicio est quod sit ordinatum Nam multitu-
do sine ordine confusio est Ordo aut
regni in hoc consistit ut sint in eo
diversi gradus hominum diversi status
et diversa officia prout expedit uti-
litati regni pariter et decori huius
condicionis exemplum considerare pos-
sumus in regno Romanorum sicut patet
legentibus utriusque regni pariter et de-
cori gesta et hystorias // Quarta
condicio est quod sit unitum per concordiam
eorum qui sunt in regno dissensio enim
regni destruccionem causat quia omne reg-
num in se ipsum divisum desolabitur Luce
xi xxv. q. ii si ea E contrario vero concor-
dia regni est causa salutis ipsius cor-
porum et animarum et per consequens glorie
// Quinta condicio est quod sit iustum et
bonum ut scilicet iustis legibus et bonis
moribus regatur et vivat sicut apparet
in Regno Romanorum apud quos fuerunt
virtutes informes i. sine fine scilicet poli-
tice non theologice xxviii q. i. ex hys.
Sexta condicio est quod sit magnum et
amplum et hominum numero et terrarum
spacio ut patet in Regno romanorum quia
in gente lata gloria regis est i. q. iiii
§. Item paro ex hys ita ibi Item david
proverbi xiiii In multitudine populi dig-
nitas regis et in paucitate plebis